DE

# DYSENTERIA APUD VETERES.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXII. M. FEBRUARII A. MDCCCXL.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JULIUS MAYER

BEROLINENSIS.

Opponentibus:

GUENTHERO II. DE BUENAU, med. et chir. Dr.
H. SCHMIDT, med. et chir. Cand.
H. WOLLHEIM, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

1840.

MATRI

OPTIMAE ATQUE DILECTISSIMAE

AD CINERES USQUE COLENDAE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

# PRAEFATIUNCULA.

Multi sane verebuntur, ne tiro medicus, si morbi cujusdam gravioris descriptionem adgrediatur, tam sibi quam aliis parum satisfaciat, quum neque eruditio neque experientia talis esse soleat, ut incrementi aliquid medicae arti scribendo adjicere possit. Operam studiumque tanto magis ad vana attendere videbitur, quanto major opinionum de morbo adumbrando exstat farrago, quanto major virorum, quibus illae debentur, dissensio. Nonnihil tamen commodi ex his redundare in tironem persuasum habeo: qui enim viri prius morbum descripserunt, viam bene muniverunt et tramitem quasi indigitaverunt, quem sequi possis ac debeas; praeterea juvenem plurimum lucri facere, inter omnes constat, si varias sententias examinando et argumenta sciscitando judicium acuere studeat. Quum igitur scribendi non animus, sed necessitas sit, tirocinium ponam in morbo omnino difficili, nimirum in dysenteriae apud Veteres descriptione, quam, si morbi apud nos grassantis exitum spectamus, graviorem sane ac periculosiorem

tunc fuisse videmus. Ex omnibus igitur fontibus, qui de hac re quidpiam me docuerunt, hausi, summa quaeque composui, in locis permultis auctoris usus sum verbis, et sub finem dissertationis brevem inter dysenteriam apud veteres et apud recentiores comparationem statuere ausus sum. Quo magis arduum est, quod suscepi, consilium, eo humanius et indulgentius lectores opellam meam dijudicaturos esse confido, si vix auream mediocritatem me assecutum esse, sibi persuadeant.

---

Jam antiquissimis temporibus a medicis Graecis, Romanis, Arabicis, praesertim ab Hippocrate, Celso, Galeno et Avicenna, ulcera intestinorum commemorantur, quae in variis intestinorum locis existere dicunt, ita ut veteres illos medicos per autopsiam ulcera illa cognovisse credas. Cum autem illis temporibus cadavera aut non secarentur, aut tantum rarissime et furtim quasi, viri illi a faecibus ulcera talia statuisse et sedem a dolore potissimum conjectasse videntur. Quae opinio viguit usque ad Sydenhamum et Willisium, qui talia ulcera adesse negabant, et hanc sententiam fere oblivioni tradebant, quamquam viri anatomiae peritissimi, ut Fontanus, Bonetus, nuper Magendie, alii, talia ulcera adesse, probarunt.

Quum autem morbum spectemus, in quo veteres in-

testinorum ulcera invenerint, fere semper, ut ex omnibus antiquitatis medicorum scriptis patet, videmus, gravissimum hunc morbum dysenteriam eos nominavisse. Haec sententia a recentioribus omnino rejiciebatur. Dysenteria, inquiunt, est affectio intestinorum modo spastica, modo catarrhalis-rheumatica, praecipue partis inferioris, quae cum doloribus vehementissimis, crebriore, difficili, maxime autem frustraneo tenesmo et dejectione materiae mucosae, sanguineae, aut puriformis, nec non cum febri varii generis conjuncta est.

Primum Hippocratis sententiam de dysenteria animo perlustremus. Dicit enim in libro *περὶ παθῶν* [de affectionibus (1)]: morbus oritur, cum atra bilis et mucus in vasis sanguiferis et in abdomine se collegerint. Sanguis morbose afficitur, decomponitur, et motu peristaltico evacuatur; ita autem etiam intestina afficiuntur, et in ulcerationem transeunt. Morbus hic per longum tempus durans, vel est gravissimus, vel lethalis: cum individua adhuc florentia aetate et virium robore corripit, salus adest, cum autem alvus jam est liquida, auxilium nullum adesse potest.

Quod ad tempus attinet, quo dysenteria obvenit, videmus, ut apud nos, ita jam apud Hippocratem: conf. Aphor. XI. section. III.: *περὶ δὲ τῶν ὡρέων, ἢν μὲν ὁ χειμὼν αὐχμηρὸς καὶ βόρειος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ ἔμπομβρον καὶ*

---

(1) Τοῦ μεγάλου Ἱπποκράτους ἅπαντα. Edit. Kühn. Lips. 1826. pag. 401. Tom. II.

*νότιον, ἀναγκαίη τοῦ θέρεος, πυρετοὺς ὀξέας, καὶ ὀφθαλμίας, καὶ δυσεντερίας γένεσθαι, μάλιστα δὲ τῇσι γυναιξὶ καὶ ἀνδράσι τοῖσι ὑγροῖσι τὰς φύσιας,"* plerumque sub finem aestatis morbum semper ortum esse, perrexisse autem per autumnum, quum aër non raris temperaturae mutationibus expositus sit, qua de causa etiam rusticos hoc tempore dysenteria affectos invenimus. Appellat hinc etiam mulierum morbum, quum magis laxioris, spongiosioris et repleti, quam strictioris et siccioris habitus corpora infestare observetur. Haec forte ratio est, cur pueris secundum Hippocratem maxime quinquennibus, et senioribus, et decennibus pestifer existat; quamvis contra Sydenham illum his perbenignum, sine quovis incommodo, etiam per aliquot menses quandoque durantem, modo res naturae permittatur, repererit (1). Reperit etiam hunc morbum in neonato Cl. Strackius, qui non dubitat, morbum jam in utero materno huic supervenisse, cum dejectionibus dysentericis et ophthalmia dysenterica, quibus exstinctus est, laboraverit, quam primum in lucem editus esset (2). Neque tamen ideo instans virilis aetas eximitur, nam et his dysenteria frequens morbus est (3). Modo hanc modo illam gentem prae ceteris adgreditur, dum nempe huic ex parte, alteri ex toto parcit, cujus exemplum apud Degnerum videmus. Parcit etiam alio

---

(1) Sydenham, l. c. Sect. II. cap. 3. p. 110.
(2) l. c. p. 45.
(3) Hippocrates, sect. 3. Aphoris. 30.

morbo tentatis, praecipue melancholicis (1), subinde, primo quo ingreditur anno, indolis magis subtilis et spirituosae est, subinde in decursu gravior fit, cum saepe in corpus susceptus, productus a tempestate, at latens fomes excitetur, ac pejor reddi videatur; subinde febri malignae putridae jamjam praesenti similis at lethalis plerumque supervenit; subinde tandem ex constitutionis pravitate febris maligna, quae a stimulo putrido, villos intestinales irritante, humoresque in liquamen putridum solvente pendet, ei jungitur, qui status tunc obtinet, cum aeger de summis torminibus et molestissimo tenesmo queritur, cum pulsus debilis vacillat, nausea inexpugnabilis, et nausea clamosa adest, cum facies lurido colore foedatur, atque faeces foetidissimae ejiciuntur.

Ex omni autem, quod paucis verbis memorare studebimus, sequitur, morbum nostrum ab Hippocrate jam ad gravissimos esse relatum; prognosin aut dubiam, aut malam, si ad complicationem cum aliis morbis, ut cum lienteria, conf. Sect. 6. Aphor. 48. „*τοῖσι σπληνώδεσι δυσεντερίη ἐπιγενομένη ἀγαθόν*" aliisque spectemus, invenimus. Praeterea quum sententiam ejus veram sequamur: acutorum morborum praedictiones non esse per omnia et semper tutas, certasque sive sanitatis, sive mortis. Conf. Sect. VII Aphor. 5. prognosin bonam promulgat, quum de insania loquitur, et quidem: *ἐπὶ μανίῃ δυσεντερίη ἢ ὕδρωψ, ἢ ἔκστασις, ἀγαθόν.*" Prognosin malam a sin-

---

(1) J. Lamoniere, descript. dysenteriae. Lugd. Gall. 1625.

cera dejectione, conf. Sect. 7. aphor. 23. „*ἐπὶ ἀκρήτῳ ὑποχωρήσεϊ δυσεντερίη*,“ porro conf. Sect. 6. Aphor. 3. „*ἐν τῇσι μακρῇσι δυσεντερίῃσι, αἱ ἀποσιτίαι κακὸν, καὶ ξὺν πυρετῷ ἐοῦσαι, κάκιον*,“ quod nihil aliud significat, quam quod in longis dysenteriis cibi fastidia malum denuntiant, et si accidunt cum febri, pejus. Prognosin invenimus lethalem ab atra bile, aut cum carunculae ejiciantur, ut ex Sect. 4. Aphor. 24. „*δυσεντερίη, ἢν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον*·“ et ex Sect. 4. aphor. 26. „*ἢν ὑπὸ δυσεντερίης ἐχομένῳ, αἱ σάρκες ὑποχωρήσωσιν, ἢ τὰ μέλανα διαχωρήματα, θανάσιμον*“ sequitur. Inter morbos, quibus dysenteria producitur, aut qui eam sequuntur, conf. Sect. 7. aphor. 77, 78. „*ἐπὶ δυσεντερίῃ λιεντερίη*“ et „*ἐπὶ διαῤῥοίῃ δυσεντερίη*“ praecipue lienteria et diarrhoea sunt nominatae, nihilominus causas, quas modo nominavimus, tantum diarrhoeas perficere, analogiam cum dysenteria praebentes dici potest, quae ideo diarrhoeae dysenteroides nominari possint.

Quod ad medendi rationem attinet, constat, Hippocratem non, ut Herodotum et Dioscoridem, adstringentia (1), eaque sola, sine aliis remediis, omni morbi tempore adhibuisse, sed sententiam semper strenue persecutum esse: conf. Sect. I. aphor. 21. „*Ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ ἡ φύσις, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων.*“ (Illa, quae ducere oportet, per loca conferentia, et quo natura maxime vergit, ducere debeas). De

---

(1) Galenus, de simpl. medicament. facult. Lib. I. cap. 36.

ejus ratione medendi medicorum magnus dissensus autem adest: liceat hinc clarissimi Strackii (1) verbis ad explicandum, et extendendum Hippocratis textum uti, cum late contineant, quae apud alios aut latius, aut minus distincte prostant: haec enim habet: »Verum hoc ipsum dysenteriae venenum sive medicinae, sive naturae beneficio promotum fuerit, frequentes inter dejectiones, et cum ipsa hac crisi anum saepe inflammat, eundemque sphacelo corrumpit; atque sic innumeros aegros jugulat eo, quod idem venenum aut acrius sit, aut nimium. Quam maxime igitur confert, quandam hujus veneni partem, per quasdam alias corporis vias subducere, ne, si omne per anum transiret, id infirmam ventris partem corrumpat, aegrotum praecipitet.«

»Oportet autem sic mederi, et dum primum morbi stadium est, et dum alterum adest, et saepe dum postremum est, ipsas inter et alvi dejectiones, et quoque dum morbus inveteravit; neque minus ab hoc, quam ab altero medendi modo praesidium haberi potest; utrumque proponam:«

»Si primum morbi stadium est, et dum dysenteriae venenum in ipsis ubique vasis circumerrat, omnis opera danda est, ut idem quantocyus dematur per omnes eas vias, per quas ex ipsis corporis interioribus exitus e sanguine est. Veluti infimi potissimum ventris viscera sunt. Siquidem cum ad ista sanguinis multum deferatur, a quo

---

(1) Strack, tent. de dysenteria. p. 53—57.

suum quaeque singularem humorem separarent, eo et simul veneni dysenterici multum recipiunt, colliguntque. Quae inter et hepar, et pancreas, et ventriculus, et omnis intestinorum tubus potissima sunt, scilicet quod his et grandia, et multa vasa sunt, et in quibus liquoris multum a sanguine deponitur, atque in quibus separati liquoris multum, nec veneni minus continetur.»

»Quare subito medicamentum emeticum dandum est, ut quod omnium praestantissimum, et in hoc morbi stadio certissimum unicumque praesidium est, si quod unquam aut inventum, aut inveniri potest. Hoc namque quidquid veneni liquori gastrico, et bili, et pancreatico succo inest, ore rejicitur; quod vero multi illi in intestinis secreto liquori enterico inhaeret factis per ipsum emeticum quibusdam alvi dejectionibus everritur. Verum, quod et ipsis intestinorum, ventriculique glandulis inest, et quod magno hepate ipsoque pancreate multum continetur, idem inter vomendum repetitis concussibus inde exprimitur, atque e corpore maturius effunditur. Denique neque et hoc praetereundum est, ipsum quoque pulmonem, oesophagum, atque ipsas fauses inter vomendum multum quati indeque veneni quidquam exprimi: veluti videre licet, hos, quibus emeticum datum est, multum sputi, salivae et phlegmatis ore reddere (1), et credibile est, multum veneni

---

(1) conf. Huxham, de aëre et morb. epidem. p. 21. 22. 23. Tissot, histor. feb. bilios. Lausannae de anno 1765. p. 25. Riverius, in institut. Lib. 5. part. I. sect. 2. cap. 4. p. 151. Freind, in comment. de febrib. comment. 4. p. 19.

inter vomendum trans cutim exprimi, perinde ac virus variolosum a vomitu facile in externam corporis superficiem transit. Herculeum hoc Degneri medicamentum erat, observavitque, quod, quo citior evacuatio per vomitum fiebat, eo certius aegri convalescebant. —

»Hac medendi ratione quum plurimum veneni dysenterici e corpore submovetur, atque id, quod in ipso sanguine superest, perparum esse videtur, cum inde omnis morbus penitus cesset, atque secunda valetudo revertatur, veluti semper contigisse vidi.«

Nunc ad Celsum transeamus, qui omnes fere Hippocratis sententias secutus, in exordio partis de dysenteria (1) exulcerationem tractus intestinorum probat, dum intestinorum morbis sic dictis tormina, a Graecis δυσεντερίη nominata, potissimum succedere posse, contendit.

---

Boerhaave, in aphorism. 1244.
van Swieten, comment. Tom. II. p. 190. §. 722.
Ludwig, instit. §. 1541. 1542.
Graininger histor. febr. anomalae. p. 74.
Stork, von Soldatenkrankh. p. 205.

Ac tandem conf. Fernelium, de morbis eorumque causis operum omnium Lib. 3. cap. 3. p. 210 eadem vix non docentem: facilis et moderata vomitio saluberrima est, purgationum omnium praestantissima, noxios quippe humores ex ipsis fontibus sinceros elicit, et vacuat, omnem, quae in ventriculi capacitate, in ejusve tunicis inhaeret, illuviem imprimis expurgat, e praecordiorum membranis, e cavis jecoris ac lienis, et ex pancreate omnis generis supervacuos humores sinceros elicit, quos plerumque nec hiera, nec aliud vehementissimum ullum etiam frequens pharmacum, in alvum exturbare potest.

(1) Aurelius Cornel. Celsus, de re medica p. 417—418.

Ex morbi descriptione ulteriore praeterea patet, eum saepe in tractu intestinali ulcera, torminum sequelam reperisse; sub finem hujus capitis autem ab Hippocratis sententia abhorret, quamquam etiam emetica adhibenda proponit, cum ait: »nihil commodius esse, quam id, qua via primum expelli potest, ejicere, valensque, dicit, est etiam adversus ulcera intestinorum, minii gleba cum hemina salis contrita: si minus, mista his aqua in alvum datur. At si sanguis profluit, cibi potionesque esse refert, quae adstringant.«

Aretaeus primus discrimen exulcerationis tractus intestinalis perspicuum proposuit; in libro secundo *χρονίων παθῶν σημειωτικόν*, (de causis et signis diuturnorum morborum, conf. Edit. Kühn. Lips. 1828. pag. 153. sq.) hisce verbis orditur: »Superiora intestina ad coecum usque pertingentia, tenuia ac biliosa, *χολάδες* (Gallendärme) vocantur. Ab his inferiora, quae crassa ac carnosa sunt, ad principium usque recti intestini porriguntur. Omnibus his innascuntur ulcera, (horumque species communi dysenteriae nomine vocantur); ideoque varii sunt adfectus. Etenim aliqua intestinorum superficiem tantum radunt, et cum excoriationem solummodo faciant, periculo carent: sed multo innocentiora, si in intestinis inferioribus consistant; at si paullo profundiora sint ulcera, ne haec quidem boni sunt moris. Alia profunditatem habent, neque consistunt: excidentia et glandulosa, *ἀδενώδεα*, et serpentia, et sphacelum inferentia et mortifera; quin etiam, dum serpunt, circumroduntur venulae, et in ulceribus largiori-

bus sunt sanguinis destillationes (ἐν δὲ τοῖσι ἕλκεσι καὶ στάξιες αἱμοῤῥαγίας τὸ μεζόν); aliud genus ulcerum est tumentium, asperorum, inaequalium, callosorum, instar nodi, quem in lignis reperimus; haec sanationem aegre recipiunt: neque enim ad cicatricem facile producuntur, quia levi momento solvi possunt.«

»Dysenteriae causae sunt complures: praecipue vero cruditas, frigora continua, acrium ciborum adsumtio, ut, μυττωτῶν (i. e. pulmenti ex allio cepaque intritis) aut cepae vel allii per se, aut carnium vetustarum, quibus cruditas supervenit; idem facit humoris alicujus insueta potio, vel ejus, qui κυκεὼν, vel istius, qui ῥυτεὼν, adpellatur, et alia pocula, quae in singulis regionibus, vini loco, siti medentur; plaga item, et frigus, et aquae gelidae potio intestina exulcerant. Dejectiones autem et signa caetera in aliis aliisque ulceribus alia sunt, et alia. Nam si ista superficiem tantum attigerint, e superioribus intestinis feruntur tenuia, biliosa, odoris praeter eum, qui ab intestinis provenit, expertia. A jeguno autem intestino exeunt coloris quaedam magis saturi et crocei et odoris foedi. Et interdum haec cum alimento, liquato quidem illo, sed aspero; et stercorum odor, modo gravis est, et ulcera ipsa putrefacta: modo nullus est, nisi ab excremento ipso. Verum ab inferiorum intestinorum exulceratione aquosa quaedam, tenuia, sine odore, profluunt: at si ulcera profundiora fuerint, humor saniei similis, subrubicundus, instar vini, aut aquae, in qua caro lota sit; et haec modo per se, modo cum excrementis: eodemque modo humida,

a liquore circumfuso dissoluta, sine bile et odore: modo compacta et sicca exeunt, sed ob humorem circumfluentem lubrica. Quodsi majora sint, aut laeviora ulcera, idque in superioribus intestinis biliosa, tam eorum ratione, e quibus, quam horum, per quae transeunt, emittuntur; sedem quoque vellicant, quia bilis acris est, et eo magis, quum ab ulcere provenit, bilis autem pinguis est, tamquam adeps. Verum a profundioribus inferiorum ulceribus sanguis descendit concretus atque crassus cum pituita: et carnosa quaedam, non admodum pinguia, intestinorum ramenta, eorumque partes etiam integrae his admiscentur. Interdum crassa prodeunt, alba, mucosa, adipis concisae similia cum humore circumfluo; ab intestino recto (*ἀπὸ τοῦ εὐθέος τοῦ παραμήκεος ἐντέρου*) veniunt. Nonnumquam mucosa tantum, pruritum moventia, parva, rotunda, mordacia egeruntur, quae hominem ad dejiciendum frequenter excitant, et desidendi cupiditatem cum voluptate faciunt, sed inter haec paucissima tantum exeunt; id mali *τεινασμός* dicitur. At ab intestino coeco feruntur carnes rubicundae, grandesque, circumscriptionem multo majorem habentes; ulcera profunda sunt: sanguis crassus et faeculentus, et odor quam in aliis gravior. Ceterum si serpant exedantque ulcera, et nulla prorsus ratione coërceri possint, e superioribus non modo sature biliosa, sed etiam crocea, spumantia, faecum similia, nigra, quaeque herbum isatidem aut porrum referunt, supra memoratis crassiora, odoris tamquam putridi dejiciuntur. At si inferiora erodantur, nigrae concretiones,

et crassa quaedam, carnosa, rubicunda, grumosa (θρομβώδεα); ac nonnunquam nigra, omnibus modis variata, foetida, intolerabilia exeunt, humorque sine voluptate profluit. Nonnunquam oblongum quiddam, quoad plurima a sano intestino non discernendum dejicitur, multisque veritatem ignorantibus excreti ipsius intestini metum injecit. Verum haec res ita se habet: intestinorum, uti ventriculi, tunicae sunt duae, quarum altera alteri oblique superincumbit; quando igitur harum connexio dissolvitur, interior tunica secundum longitudinem absistens foras exit, et exterior tantum intus remanet, carnemque contrahit, et ad cicatricem perducitur, homoque sanescit, ac sine offensa vitam agit; id inferius intestinum tantummodo patitur, quippe cujus tunicae carnosae sint.« —

»Proximum est ut, quae in quibusque laborantium symptomata occurrant, sive boni fuerint, sive mali moris ulcera, exponam. Itaque ut generatim loquar, si excoriatio superficiem tantum occupaverit, vel in superioribus vel in inferioribus intestinis, homines febre ac dolore vacant, et sine decubitu per tenuem victus rationem, alius alio modo sanescit. Sin ulcus innascatur, torsiones in superioribus fiunt mordaces, acres, tamquam a bile pauca fervente: intestina aliis quidem atque aliis temporibus, ut plurimum tamen suppurant; cibi concoctio est imperfecta, cupiditas tamen non defit. At si inferioribus exulceratio inciderit, superioribus longe minus haec offendunt, quippe quae illis multo carnosiora sint. Verum si in superioribus ulcera innascuntur, cava et serpentia, febres oriuntur

acutae, obscurae, in visceribus latentes; totius corporis algor, cibi fastidium, vigiliae, ructus foetidi, nausea, bilis vomitus, vertigo. Quodsi multa ex ea biliosorum fuerit effusio, torsiones continenter inhaerent, et ceteri dolores crescunt, accedit virium languor, et resolutio genuum: ardente febri extorrentur: lingua sicca, pulsus exiguus, imbecillis; siticulosi sunt: nauseant; nigra evomunt; hosque omnia comitantur, quae in ulceribus perniciosis mortifera esse proposui. Quodsi in initio exigua sint ulcera, neque intra tempus aliquod serpere incipiant, alia aliis superveniunt, quibusdam subsidentibus, aliisque in verticem adsurgentibus; talis fit ulcerum adfluxus, qualis undarum in mari. Ceterum si natura valens exstiterit, ei medicus etiam subvenerit, a serpendo coërcentur ulcera, neque mortis subest timor; dura tamen et tumida manent intestina, ac nonnisi longo post tempore ad sanitatem perducuntur. At profluvium sanguinis ab intestinis, si a magna vena aut arteria exeat, mortem infert quam celerrime, neque enim manum inserere, partemque ipsam dolentem attrectare, aut ulceri medicamentum admovere possumus. — Hujusmodi sunt intestinorum ulcera. — Oriuntur autem praecipue aestatis tempore: deinde autumno, vere rarius: hieme minime.« —

Quo loco diligenter considerato, si eas res, quae gravissimi hac in re sunt momenti, eligamus, reperimus haec: Aretaeus, observatis diligentissime dysenteriis epidemicis, quae illo tempore late vagabantur, susceptisque haud raro cadaverum sectionibus, saepissime ulcera

tractus intestinalis, ab ipso accurate descripta non solum in superioribus, sed etiam in inferioribus intestinis repererit, necesse est, quod maxime ex anatomica ipsius tunicarum tractus intestinalis distinctione elucet. Possit etiam videri Aretaeus, quamvis jam exulcerationem glandularum tractus intestinalis cognoverit, nullum vero discrimen inter alios graves tractus intestinalis morbos constituerit, ei morbo, quem typhi abdominalis nomine vocamus, etsi in ejus descriptione gravissima dysenteriae symptomata composuerit, false *δυσεντερίης* nomen dedisse. Licet autem intelligamus, Aretaeum singula intestinorum superiorum inferiorumque ulcera describentem prognosin accuratissimam constituisse, tamen contendam, nos typhum abdominalem recentioris temporis contemplantes, defectis intestinis diabrosi vel enterobrosi accuratiorem prognosin augurari non posse. Eodem fere de morbo, quem Galenus dysenteriam nominat, dictum velim, quamvis, paullo diligentior Aretaeo, ulcera recti commemoret; conf. Lib. 3. *περὶ αἰτιῶν συμπτωμάτων*, ubi de variis excrementorum sanguineorum formis loquitur. Exulceratione enim intestinorum graviorem, quam eum, quem dysenteriam tantum vocant nonnulli, morbum vult significari. Cujus morbi majoris plures etiam partes constituit, unam ejus speciem dysenteriae nomine significans, alteram dysenteriam rubram, tertiam tenesmum nominans. Quem tenesmum ortum esse contendit ex ulcere recti, laborantis paene iisdem, quae in dysenteria inveniuntur, affectionibus symptomatibusque vel similibus, exceptis tensionibus gravio-

ribus. Observasse autem saepius ac diligentius Galenum exulcerationem tractus intestinalis et in aestimanda prognosi hujus morbi periculosissimi, quem in plures partes dividit (quarum nominamus Colicam pictonum, quam sub dysenteriae ab aquis per plumbeos canales derivatis nascentis nomine primum descripserit), (1) certissimam proposuisse sententiam, praecipue e pluribus Lib. I. et II. *περὶ τῶν πεπονθότων τόπων* locis intelligimus.

Liceat mihi nonnullos e scriptis hujus viri praestantissimi de dysenteria locos allegare: conf. de symptomatum causis Cap. VII. quo de rebus loquitur, quae e supernis in ventrem confluunt, et ex quo credam, eum, uti Hippocratem, de dysenteria jam dysenteriam rubram distinxisse: »*ἐκκρίνεται μὲν οὖν τὸ περιττὸν ἔν τε ταῖς κρίσεσι καὶ κατὰ τὸν τῆς ὑγείας ἐνίοτε χρόνον ὥσπερ ἀμέλει καὶ ταῖς γυναιξὶν ἐφ᾽ ἑκάστῳ μηνί· τοιαύτας δὲ καὶ τὰς αἱματηρὰς δυσεντερίας ὁ Ἱπποκράτης ἔφασκε συμπίπτειν, ἐφ᾽ ὧν ἀπεκόπη τι κῶλον.*« Locum ejusdem sententiae invenimus Lib. 8. Cap. 2. pag. 381. In capite antecedente, ut jam supra disseruimus, postquam nonnulla de atrae bilis origine praemisit, porro leguntur haec:

»Devenit autem ad dictum affectum, qui ex ventriculo in jecur distributus est succus, quum is, quod ulterius in corpus non distribuatur, in hepate diutius moratur (*ὀνομάζεται δὲ ἡ τοιαύτη τῶν ἐκκρίσεων ἰδέα πρὸς ἐνίων δυσεντερία*). Etenim ita affecti saepenumero vellicantur

---

(1) Ackermann, instit. histor. medicin. Norimberg. 1792. pag. 231.

ac peraeque ac dysenterici, vel, arbitror, ob flavae bilis acrimoniam, quam sanguis, dum assaretur, acquisivit; ac vocet quidem quisque prout volet. Jam cruentorum excrementorum quatuor omnino sunt differentiae quatuor affectibus succedentes.«

Tribus harum mira diligentia memoratis, pergit: »τῆς τετάρτης δὲ τῆς νῦν εἰρημένης ἕλκωσις ἐντέρων ἐστὶν ἡ διάθησις· ταύτην καὶ μόνην ἀξιοῦσι τινες ὀνομάζεσθαι δυσεντερίαν· ἀλλ', ὅπερ εἴρεταί μοι πολλάκις, ὑπὲρ τοῦ μηδὲν παραλειφθῆναι πρᾶγμα μεγάλην δεῖ πεποιῆσθαι τὴν φροντίδα, τῶν δὲ ὀνομάτων καταφρονητέον ἔστι δὲ ἐκ ταὐτοῦ τοῦ γένους τῇ προειρημένῃ δυσεντερίᾳ καὶ ὁ καλούμενος τεινεσμὸς ἕλκος ἐν ἀπευθυσμένῳ γινόμενον, τὰ μὲν ἄλλα συμπτώματα παραπλήσια φέρων ἐντάσεις δὲ πολὺ σφοδροτέρας τῶν δυσεντερικῶν.«

In Lib. I. περὶ τῶν πεπονθότων τόπων (1) Galenus comparando liquorem serpentem, tractum intestinalem exsiccantem, radentem, ulcera producentem, commemorat, »οἷον ἐπὶ δυσεντερίας ὁ δακνώδης χυμὸς, αἴτιός ἐστιν τοῦ πάθους ἐν ἀρχῇ μὲν ἀποῤῥύπτων τε καὶ ξύων, ἐν χρόνῳ δὲ ἑλκῶν τὸ ἔντερον.« Praeterea, pergit, si verbis Edit. Kühn utamur, »quod si antequam ulcus induxerit, humor effluere desinat, affectus (2) nondum dysenteria nominari posse, et si ulcus praeoccupet intestinum, non factus simul cum humore finiri affectus.«

Alio ejusdem libri loco, quo tractus intestinalis tu-

(1) Tom. VIII. pag. 25.

(2) Ackermann, instit. med. §. 296.

nicas, et ulcera in iis differentia magna cum diligentia, quam tantum apud Aretaeum invenimus, describit, et ubi morbi sedem excrementorum specie ac prognosin strictissime constituit, conf. Tom. VIII. pag. 43. »φέρε γὰρ ἐκκρίνειν τινὰ κατὰ γαστέρα ποτὲ μὲν ἐφελκίδας ἢ οἷον ὑμενώδη ξύσματα, ἢ οἷον αἱματῶδές τι, ποτὲ δ' ἅμα ταῦτα πάντα· τὰ μὲν ἡλκῶσθαι τὸ ἔντερον οὐκ ἂν ἀμφισβητήσειέ τις, εἴτε δὲ ἐν τοῖς λεπτοῖς ἐντέροις ἐστὶν, ἢ ἐν τοῖς παχέσιν ἡ ἕλκωσις· οὐδέπω δῆλον, ἀλλ' ἔκ τε τῆς τῶν ξυσμάτων ἰδέας, κ'ἀκ τοῦ χρόνου τῆς διεξόδου — διορισθήσεται· αἱ μὲν γὰρ ἐν τοῖς κατωτάτω μέρεσι ἑλκώσεις οὐδ' ὅλως ἔχουσιν ἀναμεμιγμένα τοῖς διαχωρήμασι, τὰ τῶν ἑλκῶν γνωρίσματα ταῖς δ' ὀλίγον, ἀνωτέρω μέμικται μὲν, ἀλλ' ἐπὶ βραχύ· καθάπερ γε τῶν ἐπὶ πλέον ἀνωτέρω καὶ ἡ μίξις ἐπὶ πλεόν· ἔτι δὲ δὴ μᾶλλον ἐπὶ τῶν ὑψηλοτάτων ἐντέρων ἀναμέμικται τῇ κόρπῳ τὰ τῆς ἑλκώσεως ἴδια·« —

In libro secundo de doloribus loquitur, dysenteriam praecedentibus eam, quae intestinorum exulceratione incipit, quam etiam omnes fere et antiqui et sui temporis medici ita nominarunt; porro dysenteriam rubram commemorat, eamque ob excrementorum speciem cruentam nominans, quum sanguinis puri non pauca copia semper excernatur (1). Porro in Cap. 2. de locis affectis pag. 381 de ventriculi affectibus diligenter loquitur, quo ex loco sententiam, quam Galenus de dysenteria habuerit, evidenter intelligimus; huncce enim morbum intestinorum

(1) Tom. VIII. pag. 85.

exulcerationis nomine significat; attamen de dysenteriae et tenesmi sede in intestinis ipsis ipsi non constat, quod ex symptomatum similitudine inter se et ex partibus, quas ipsa attingant, sicut renibus et colo, haud in magno discrimine versanti, satis elucet. »ἔνια μὲν οὖν εὔγνωστον ἔχει τὸν πεπονθότα τόπον, ὥσπερ αἱ δυσεντερίαι καὶ οἱ τεινεσμοί· χρὴ δ' ὑμᾶς ἐν τῷ παρόντι λόγῳ τὰς κυρίως ὀνομαζομένας δυσεντερίας ἀκούειν, ὡς σημαινούσης τῆς προσηγορίας ἐντέρων ἕλκωσιν« »neque etiam repente fit hujusmodi affectus, ut alter, in quo hepar affici diximus, atque proprias habet notas.« — Tum de bilis mordacis excretione verba facit, quam deinde intestinorum ramenta sequantur: »εἶτα τοῖς ξύσμασι συνεκκρίνεταί τι μικρὸν αἵματος, ἡνίκ' ἤδη δυσεντερία τὸ πάθος ἐστίν.« — Postea affectus describit, qui ulceribus superiorum et inferiorum intestinorum afferantur, et praesertim apud inferiorum intestinorum ulcera clysmata collaudat, et ulcera superiorum intestinorum epotis medicamentis juvantur. »διορίζονται δὲ, pergit, τῶν ἀφ' ἥπατος ἐκκρίσεων αἱ τοιαῦται δυσεντερίαι τῷ τε λεπτὸν αἵματος ἰχῶρα κατ' ἀρχὰς ἐκκρίνεσθαι ταῖς ἀφ' ἥπατος εἶτα τοῦ πάθους αὐξανομένου παχὺν χυμὸν οἶνον τρυγὸς παραπλήσιον.« — Tum de tenesmo verba facit, qui morbus ulceribus in intestino recto producitur; ulcera autem ipsa vehementes tensiones et promptam dejiciendi cupiditatem invehere, paucis admodum sequentibus excrementis, quae quidem ab initio pituitosa, progressu vero temporis etiam ramentosa dejiciantur, contendit. — Sub finem capitis de doloribus intestinorum loquitur, ibique, ut jam Aretaeus,

proprium et superiorum et inferiorum intestinorum accipit dolorem, remedia ipsa docet, quibus juvantur, tamen, se non satis mirari posse, dicit, ut at hunc usque diem omnes fere medici contenderint, doloris sedem tantum in colo adesse; descriptione autem simul probat, se jam tractus intestinalis accuratissimam habuisse cognitionem anatomicam et quidem de ejus situ et structura.

Si nunc dysenteriam Caelii Aureliani (1) temporibus grassantem contemplamur, videmus, eum ab omnium veterum medicorum sententia abhorruisse, dum dysenteriam rheumatismum intestinorum cum exulceratione nominat, morbum, qui vel cum profluvio antecedente, aut, ut Graeci dicunt, cum diarrhoea, vel cum Cholera, vel cum abdominis tumore (Spannung) incipit. Decursus, inquit, hujus morbi difficilis aut celer aut chronicus esse solet. — Tum excrementorum speciem ejusque morbi symptomata describit, praesertim praecordiorum saltum et linguae habitum magni existimat; exulcerationem et in intestinis superioribus et inferioribus oriri posse, non negat, eam autem et in utroque intestino simul existere nunquam posse, ni prognosis lethalis sit, diserte commemorat. — Tum de dolore fixo loquitur, qui adesse soleat, cum ulcera in intestinis orta sint, et sub finem ejusdem capitis tenesmi symptomata signifi-

---

(1) Cael. Aurel. de morb. acut. et chron. Edit. Lugd. Batav. 1569. pag. 474.

Haller. Biblioth. med. pract. Tom. I. pag. 207.

cat, dum tractus intestinalis finis, pars, quam Graeci ἕδρα vocant, exulcerata appareat.

Videmus igitur, et Cael. Aurelianum sententiam Galeni, si tenesmum spectamus, sequutum esse, cum et ipse de recti exulceratione loquatur, et de doloribus, qui apud recti ulcera adesse soleant; praeterea autem, eum dysenteriam pro rheumatismo intestinorum habuisse, quam rationem postea plurimi fere recentiores medici non immerito secuti sunt (1).

Inter medicos post Galenum dogmatici Aëtius Amidenus et Alexander Trallianus maxime sunt referendi, quorum alter, etsi Galenum in theoria sequebatur, diligentius, quam suorum temporum medici facere consueverant, descripsit morborum discrimina, species pro causarum diversitate constituit, medicamentaque his speciebus accommodata, et quidem, pro saeculi sui ingenio, permulta praecipit; alter, qui in morborum descriptione non magnam operam collocavit, longe studiosius, pro saeculi sui more, in medicamentis versatus est, quorum ad unumquemque morbum tantam copiam tantamque varietatem commendavit, ut ubique intelligatur, eum in usu medicamentorum plane secundum empiricorum post Galenum morem esse versatum (2). In dysenteria, quam rheumaticam vocat, sanguinem ad duas heminas detrahit; neque injuria temerariam, ac sine ra-

---

(1) Stoll, rat. medend. Tom. III. p. 247.

(2) Ackermann, instit. med. p. 240. sq.
Haller in biblioth. med. pract. Tom. I. p. 303.

tione ab aliquibus usurpatam consuetudinem improbat, qui statim Opiata ingerunt; haec enim in tempus quidem humores cohibent, verum et caput afficiunt, ut vires infirmant, et postea fluxum incitant. Notatque, in vera dysenteria, ubi exulceratio adest, saepe mucum id videri, quod revera pus sit (1).

Aëtius Amidenus, in libro II. de cognoscendis et curandis morbis, cap. 34. nonae tractationis, in qua de dysenteria loquitur, hunc morbum intestinorum exulcerationem esse, occulte conficientem, et externis causis, ut frigore, calore, cruditatibus oriri posse, contendit. Tum, sicut Alexander Trallianus, de quo postea disseremus, crassorum, mediorum, tenuium intestinorum exulcerationem describens, eadem in singulorum intestinorum exulceratione symptomata affert. Qui, quum dicat, in dysenteria recti exulcerationem magni esse momenti, morbum in crassis sedem habere intestinis arbitratur, quamquam in dysenteria intestinorum tenuium exulcerationem omnino non negat. Neque prognosin minus diligenter constituit, declarans, insanabilem esse recti et coli exulcerationem, tenuium intestinorum difficilius auferendam, omnium difficillime in jejuno positam. Plurium, quas discernit, dysenteriae specierum gravissimam habet, quae vehementi nata inflammatione conjuncta sit cum febri, deficiente quoque cibi cupiditate. Quam ipsam superari tamen arbitra-

---

(1) Joh. Freind, de Alexandro relatio in Alb. de Haller artis medicin princip. Tom. VI. p. 33. Lausannae 1772.

tur illa, in qua nigra sint excrementa et faeculentissima, membranaceisque partibus permista. Hujus, inquit, morbi melior est prognosis, quando incidit in juvenes et eos, qui florente gaudent aetate, quam illius, quo senes laborant et infantes, quorum omnium tamen feminae difficillime sanantur.

Alexander Trallianus, quem studiose contemplari mihi liceat, in Cap. IX. Lib. 8. de intestinorum exulceratione, a Graecis praesertim dysenteria nominata, loquitur, quem morbum veteres ita vocare solebant, quum vel non jecur, vel non alia corporis pars esset affecta, sed in quo tantum intestinorum exulceratio adesset. Fructuum horaeorum pomorumque usum dysenterico prodesse primus dixit. Opium hoc morbo laborantibus frequenter dedit, et dysenteriae sanationem non omnem in alvi adstrictione consistere, sed non raro in evacuatione quoque, docuit (1).

Ex morbi decursu videmus, eum magnum fecisse discrimen inter intestinorum superiorum et inferiorum exulcerationem, quoniam apud exulcerationem recti vel intestinorum crassorum Clysmata, et apud intestinorum tenuium exulcerationem remedia, per os applicata, proponit. Tum de diagnosi miro modo loquitur, et quidem, quum exulceratio in intestinis crassis, aut mediis, (Colo), aut tenuibus adsit; praecipue exstante intestinorum crassorum exulceratione tenesmum commemorat, quem intel-

---

(1) Ackermann, instit. med. pag. 245.

ligit mordentem quasi affectionem in infimis intestinorum partibus, crebrumque ad alvum exonerandam impetum. In exulceratione intestinorum tenuium majorem contendit esse dolorem, et excrementa tenuia et membranacea. Mediorum intestinorum exulcerationem cognovit excretionis alvi tempore, et ex dolore, quum aegrotus neque statim doloribus abdominis, neque pluribus horis post, ad excretionem demum impellatur, neque dolor aut vehementissimus, aut contra dolor nullus adsit.

Eandem sententiam de natura hujus morbi, et de medendi ratione Paulus habuit Aegineta (1). Ipse morbum, quem tenesmum vocat, discernit ab illo Romanis tormina (δυσεντερία) nominato, et intestinorum exulcerationem ipsam; praecedere enim torminibus tenesmum, contendit. In medendi ratione (conf. Cap. LXII.) de dysenteriae sanatione verba facit, praesertim globulos, a Graecis Cataphocia nominatos, collaudat: (i. e compositionem [ex ligno maceris effigiati]), Opii, Rhei aa grammata sex, Gallae, Myrrhae ℥j, vino spathite excipito; (pag. 419.) et Hypothetum ad dysenteriam et ani coronae dolores, terrae est aeris, Amyli aa ℥iij, Croci ℥ij, Acaciae, Thragacanthae aa ℥j, Castorei, Thuris, Lycii aa ℥ß, in natura Calidioribus Opii ℥ß, succo pulicariae excipito, et effigiato in longum Cotylam dimidiam; conf. pag. 455.

---

(1) Pauli Aeginetae, med. insign. opus divinum. Basil. MDXXXII.

Hollerus (1) de fluxibus coeliacis Lib. I. c. XLII, copiosus agit de cicatricibus, quae in tractu intestinali inveniantur, effectae dysenteriis et ulceribus intestinorum. In iis, quas hoc ad caput scripsit, annotationibus, in quibus copiosius agit de exulcerationibus et dysenteriis (2), easdem invenimus sententias, quas ceteri etiam proposuere medici, de quibus supra jam disseruimus.

Jacobus Fontanus (3), de quo nunc pauca dicemus, dysenteriam describit, quam in suo ipsius filio, novem annos nato, observavit. Primum etiam ab eo descriptam dysenteriam phagedaenicam, quae pendens ex intestinorum ulceribus, efficitur atra bile aut flava, (sicut eam discrevere veteres) invenimus. Cui adnumerat dysenteriam ex tumoribus intestinorum ortam, qua affectus filius e vita decessit; reperta autem sunt in sectione a Petro Bontamper instituta inde a colo usque ad rectum ultimum ultra ducenta ulcera, abscessibus admixta, quorum plura totum arroserant intestinum.

Bonetus multa affert, ab aliis jam proposita exempla suppurationis intestinorum, quorum imprimis commemorat exemplum (4) feminae, defunctae dysenteria, cujus colon paene totum erat deletum. Quarta in observatione, auctore Bartholino, sectionem commemorat

(1) Lud. Dureti Segusiani, med. etc. comment. in J. Holleri Stempani Lib. de morbis internis. Paris. 1611. p. 414.

(2) Ibid. p. 420.

(3) Jacobi Fontani Sanmaxitani, primarii med. Oper. Ed. Coloniae Allobrogum. 1612. p. 180. sq.

(4) Miscell. curios 1673. Obs. 116.

matronae nobilis dysenteria defunctae, cujus viscera putridis tumebant tuberculis. Tum sexta in observatione, Bontium secutus, militis proponit exemplum, cujus, quum dysenteria esset exstinctus, viscera valde erant efflata, quorum intima tunica plane abrasa videbatur.

Tulpius (1) etiam Herculem quendam commemorat, qui multum operae impendit dysenteriae, dicens in illa dysenteriae specie, quam »tormina« appellarit Celsus, modo sanguinem, modo mucum, modo magnas inveniri partes tunicae intimae intestinorum.

Conradus a Brunn exulcerationem intestinorum imprimis in glandulis Peyerianis esse positam, scripsit, et sectionem describens phthisici, qui fluxu coeliaco laborans animum efflaverat, in ejus tractu intestinali ultra sexaginta ulcera se invenisse, quae omnia in glandulis, postea a Pechlino Peyeroque descriptis, locum habuerint, commemorat.

---

Quae omnia, sententiis medicorum a nobis commemoratorum compositis, si diligenter consideraverimus, invenimus, antiquissimos jam nostrorum majorum Hippocratem (2) et Galenum (3), intestinorum novisse inflammationem. Quorum hic crassorum et tenuium inte-

(1) Nicol. Tulpii Amstelodam. Observat. med. Edit. nova. Amstelod. 1685. p. 205.

(2) De morbis. Lib. III. Cap. 13.

(3) De loc. affect. Lib. VI. Cap. 2. Definit. med. Num. 273.

stinorum discernit inflammationem, quam nominat *χορδαψόν*, silentio tamen praetermittens: exulcerationem intestinorum, dysenteriam, de qua latius agit, tantum originem ducere putans ex inflammatione, ideoque eundem esse morbum, quem *εἰλέον* et *χορδαψὸν* nominat, quorum discrimina tantum efficiantur peculiari natura membranarum intestina constituentium. Aretaeus jam accuratius de hac inflammatione loquitur, quum, duas intestinorum tunicas describens, quarum una alteram tegat, et a quibus intima, morbi sequela, secerni possit, ut tantum externa remaneat, accipiat.

De natura dysenteriae et quo loco existat hic morbus, sententiae discrepant, quarum, quae sunt maximi momenti, afferre liceat. Testibus multis medicis et magistris antiquis, morbus noster, absente intestinorum exulceratione, non invenitur. Ad hanc enim opinionem jam Hippocrates incitaverat, licet eum dixisse sciamus dysenteriam etiam sine illis deletionibus exstare. Galenus eum secutus est. Celsus autem contendit, intestina, ubi fuerit dysenteria, intus semper dissoluta esse et exulcerata, eorumque secreta, sanguinea inveniri, purulenta, floccosa. Quae opinio, quum usque ad proximum saeculum floruisset, falsa tandem est cognita Willisii, Morgagni, aliorumque opera, qui animos magis in anatomiam pathologicam converterunt, postquam inventionibus suis hanc disciplinae partem magis magisque excoluerunt. Sydenham autem expertus, dysenteriis epidemicis vigentibus febres quoque non deesse, similes

dysenteriae, exceptis peculiaribus secretionibus dysentericis, vehementissimoque tenesmo, nec non eos, qui his febribus fuissent affecti, dysenteriae non esse obnoxios, conjecit, dysenteriam haud aliter se habere, ac febrem certo anni tempore valentem, quae in rectum incidisset, quare nominavit eam: febrem in intestinis versantem, febrem dysentericam. Qua ab opinione etsi non dissentiamus, quod ad dysenterias epidemicas attinet, quum ex ea singulare naturae harum dysenteriarum discrimen intelligamus, quod in dysentericis epidemicis solet esse, (aliae enim, verno tempore magis videntur inflammatoriae, aliae calente aestate, gastricae, aliae, in autumno, putridae), quocirca nonnulli ei assensere, quorum Degnerum tantum et Zimmermann nominamus, tamen in dysenteria sporadica, et multis quoque epidemicis, contraria sumus experti.

Baker, Stoll, P. Frank (1) et alii contenderunt: dysenteriam omnino inflammatoriis morbis esse adnumerandam, et quum praecipue in membrana pituitaria inte-

---

(1) J. P. Frank, Epitome de curand. morb. Lib. V. Pars II. p. 509.

Mediz. pract. Beobacht. Frankf. 1784. 2te Samml. p. 247.

Ueber die epidemische Ruhr. A. d. Holländ. Düsseldorf 1790.

Von der Ruhr und ihrer Heilart. Giessen 1797.

Vogel's Handb. d. pract. Arzneiwissensch. Th. 6. p. 132. sq.

Richter's specielle Therapie. Th. II. p. 112. sq.

Von d. Natur u. d. Behandlungsart d. Ruhr. Nürnb. 1809. p. 22—25.

Dr. v. Velsen, über die Ruhr. In Horn's Archiv. Jahrg. 1819. Bd. I. p. 331.

Bischoff's praktische Heilkunde. Th. II. p. 144.

stinorum crassorum inveniatur, a qua etiam saepissime in tunicam ejus musculosam extendatur, vel catarrhalis, vel rheumatico-catarrhalis affectionis nomine significandam. Idem jam Alexander Trallianus dixerat, qui dysenteriae catarrhi rheumatici nomen indidit; neque plane erravisse videretur, quod ad nonnullos morbos epidemicos pertinet, nisi observassemus dysenteriam non iisdem semper temporibus vigere, quibus catarrhales affectiones, et valde eam a veris alvi dejectionibus catarrhalibus discerni, e quibus rarissime tantum vera existat dysenteria. Quin etiam exstant dysenteriae, quae neque iisdem, quibus catarrhi et rheumatismi, oriuntur causis, neque, sicut isti morbi, decurrunt, vel iisdem tolluntur remediis. Quare vel approximativa esse videtur haec Tralliani opinio.

Cullen arbitratur, tenesmum et colicam maximi esse in dysenteria momenti, quare spasmum coli eam esse contendit. Quocum fere consentit Hufeland, dicens: eam esse spasmum intestini recti; omnino spasmum intestinorum Horn eam esse asserit. Quae si diligentius consideraverimus, re vera dysenteriae subesse spasmum, videmus, quo ipso gignantur tenesmus et dolores; neque vero caput summum dysenteriae esse hunc spasmum, sed necessarium omnis morbi effectum.

Recentioris temporis medici, inter quos imprimis Speyer et Wedekind, putavere dysenteriam esse inflammationem intestini recti, ex quo magis minusve in altiores intestinorum partes extendatur. Quibus assentiamur oportet, considerantes imprimis morbi causas, decur-

sum, exitum, sectionum eventus. Dysenteria enim, quamvis variae inveniatur naturae, tamen numquam caret propriis inflammationis indiciis, quum semper, etsi sit lenissima, in membrana pituitaria recti inveniamus gradum affectionis inflammatoriae, quae, quo gravior fit morbus, eo clarius apparet.

Haec enim affectio inflammatoria aeque se habet, ac quaeque inflammatio, quae imprimis partes membranae pituitariae amplectitur, et quidem lenior, sicut etiam invenitur in inflammatione membranae pituitariae narium, arteriae asperae, urethrae, in catarrho et gonorrhoea, auctam gignit pituitosi humoris secretionem, gravior autem, saepe diminutionem secretionum, degenerationem structurae membranarum affectarum, suppurationem, gangraenam.

Sin autem membranam pituitariam tantum amplectitur inflammatio simplex et pura, exiguam efficit febrem et morbo catarrhali-synochico similis decurrit; latior autem se extendens, et deleta simplici natura, magis penetrans, aliter se habet. Febris enim ita augetur, ut vera nascatur febris inflammatoria, aut, turbata aliqua admixtione aliena, in gastricum, biliosum, nervosum, vel putridum morbum convertitur.

# LITERATURA.


*Τοῦ μεγάλου Ἱπποκράτους ἅπαντα.* Edit. Kühn. Lipsiae 1826.

Aurelii Cornelii Celsi de re medica Lib. VIII. Edit. Triveri et Ronssei. Lugdun. Batavor. 1542.

*Ἀρεταίου Καππαδόκου ἅπαντα.* Edit. Kühn. Lips. 1828.

*Κλαυδίου Γαλήνου ἅπαντα.* Edit. Kühn. Lips. 1828.

Caelii Aureliani Siccensis, medici vetusti et in tractanda morborum curatione diligentissimi, secta Methodici, de morbis acutis et chronicis Lib. VIII. Edit. Lugdun. Batavor. 1569.

Aëtii Amideni, quem alii Antiochenum vocant, medici clarissimi Lib. XVI. in tres tomos divisi etc. Basileae 1535.

Alex. Tralliani de arte medica Libri XII. Edit. P. R. Vicat. Lausannae 1772.

Pauli Aeginetae, med. insign. opus divinum. Basileae 1532.

Ludovici Dureti Segusiani, medic., Scholae Parisiensis Professoris, Commentarius in Jacobi Holleri Stempani librum de morbis internis. Parisiis 1611.

Jacobi Fontani Sanmaxitani primarii medici Opera. Edit. Coloniae Allobrogum 1612.

Theophili Boneti, D. m. etc. sepulchretum sive anatomia practica quatuor libris comprehensa et in duas partes divisa. Genevae 1679.

Miscell. curios. 1673. Obs. 116.

Barbette praxis. Lib. 4. cap. 5.

Nicolai Tulpii Amstelodamensis observationes medicae. Edit. nova. Amstel. 1685.

Joh. Conrad a Brunn, Med. Doct. Prof. Archiatri Palatini, Glandulae Duodeni seu Pancreas secundarium in intestino Duodeno Hominis primum abhinc in aliis quoque animalibus detectum etc. Francofurti et Heidelbergae 1715.

Henrici Bassii, M. et Ch. D. Prof. in alma Fridericiana, observationes anatomico-chirurgico-medicinae. Edit. Halae. 1731.

Joh. Fantoni etc. Opuscula medica et physiologica. Genevae 1738.

Joh. Baptistae Morgagni etc. de sedibus et causis morborum per anatomen indagatis Lib. V. Edit. Lugd. Batav. 1767.

Stark, tentamen de dysenteria. Mainz 1760.

Ackermann, de dysent. antiquitatibus, liber bipartitus. Lips. 1777.

Schnurrer, Chronik der Seuchen. 1825.

Albert. de Haller, artis medicin. principes. Lausannae 1772.

Ackermann, instit. med.

# VITA.

Natus sum ego Fridericus Julius Theodorus Mayer anno MDCCCXIV die sexto nonarum Martii, Berolini, patre Friderico, mercatore, quem jam per tredecim annos mortuum lugeo, matre Friderica e gente Braun. Religioni evangelicae addictus sum. Litteris, quae ad altiora studia viam muniunt, in gymnasio Berolinensi, quod tum directore Koepke florebat, imbutus sum. Cupiditate autem magna, artem pharmaceuticam discendi, incensus scholam regiam, in qua potissimum doctrinae, ad vitam communem spectantes, traduntur, frequentavi ibique maturitatis testimonium adeptus artem, de qua supra locuti sumus, didici. Rudimentis perfectis litteris per duos annos imbutus sum, et maturitatis testimonium in gymnasio Luccaviensi,

quod t. t. Beat. M. Lehmann florebat, nactus, anno hujus saeculi trigesimo sexto hanc almam Berolinensem Fridericam Guilelmam petii, cujus civibus me adscripsit rector Ill. Busch, in medicam facultatem me accepit Ill. Müller. Anno elapso universitatem Friderici Guilelmi Rhenanam petii, in qua tantum per sex menses versatus, a rectore Ill. Wutzer civibus academicis inscriptus, a decano Ill. Naumann in medicam facultatem receptus sum. Tum iterum ad hanc almam redii universitatem, ibique medicae artis studio operam navavi, virosque Illustrissimos de variis doctrinae medicae partibus audivi: Cel. Beneke de logice, psychologia; Ill. Link de botanice, historia naturali; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Schlemm de osteologia, anatomia organorum sensuum; Ill. J. Müller de anatomia universa et organorum sensuum; Ill. Mayer de physiologia; Ill. Wutzer de anatomia chirurgica; Ill. Nasse de medici educatione; Ill. Bischoff de materia medica. In arte cadavera rite secandi Ill. Müller et Ill. Schlemm duces mihi fuere. Ill. Horn de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medicinae, de

symptomatologia, de pathologia, therapia generali et speciali, de historia medicinae recentioris; Cel. Romberg de morbis nervorum; Ill. Jüngken de chirurgia speciali; Ill. Kluge de arte obstetricia; Ill. Wagner de medicina forensi. Exercitationibus clinicis, medicis, chirurgicis, obstetriciis interfui virorum Illustrissimorum et Celeberrim. Wolff jun., de Graefe, Kluge, Trüstedt, quibus omnibus viris summopere colendis gratias ago maximas.

Rei militari ut satisfaciam, munere chirurgi militaris jam ex novem mensibus duce Exper. Lesser fungor.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, fore spero, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

# THESES.

1. Omnia vulnera abdominis penetrantia prima intentione sunt sananda.
2. Oleum jecinoris Aselli optimum contra phthisin pulmonalem remedium.
3. Omnis excretio critica, quae inchoatur tantum, non perficitur, maxime damnanda.
4. Typhi abdominalis causa proxima in lenta tunicae mucosae tubi intestinalis inflammatione cernitur.